



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

De quibusdam affectibus pro quavis materia particularibus: ac primò de  
iis, qui sunt proprii incipientium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

## CAPUT XIV.

*De quibusdam affectibus pro quavis materia particularibus, ac primò de iis qui sunt proprii incipientium.*

**V**eluti suprà methodum assignavimus meditandi super quibusdam argumentis tribus hominum statibus, Incipientium videlicet, Proficientium ac Perfectorum, peculiaribus, ita non abs re erit hic videre, quosnam in quovis ex his statibus quis queat elicere affectus, quo sic ex istis formulis & exemplis facilius intelligant Fratres nostri, qua ratione in quavis alia matèria procedere debeant. Uti enim argumenta meditationum propria Novitiorum seu Incipientium differunt ab iis, quæ sunt propria magis Provectorum, ita affectus eorum proprii quoque differunt, uti jam diximus: argumenta ista communiora sunt:

1. Peccatum.
2. Cognitio sui ipsius.
3. Mors.
4. Judicium.
5. Infernus.
6. Cœlestis gloria, & similia.

Affectus magis ordinarii ex hisce meditationibus promanantes sunt: 1. Contritionis & perversi status peccati detestationis.

2. Sancti

2. Sancti sui ipsius odii.
3. Timoris malæ mortis, ac bene vivendi, ut bene mori quis possit, desiderii.
4. Metus Judiciorum Dei.
5. Desiderii patiendi, atque in hac vita agendæ pœnitentiæ.
6. Gaudii & consolationis in pœnis, ac spei æternæ beatitudinis aliquando reportandæ:

Multiq; alii ex istis tanquam ex fontibus suis ac scaturiginibus profluentes, qui ex bonorum malorumve spiritualium consideratione proveniunt, sicuti motus appetitus sensitivi excitantur ex intuitu objectorum pariter sensibilem bonorum aut malorum, gratorum aut ingratorum. Ubi etenim bonum aliquod, exempli gratia, æternam cœlestis gloriæ beatitudinem, consideramus, mox in nobis experimur amorem, desiderium, gaudium, spem ac sanctam quandam audaciam nos resolvendi ad superandas difficultates, quæ nos ab illius acquisitione possunt impedire. Ubi verò consideramus aliquod malum, verbi gratia, tormenta inferni, experimur in anima nostra odium, abominationem, tristitiam ac tanti mali timorem. Aliquot hic formulas super quolibet ex prædictis argumentis apponemus.

*Comparatio affectuum orationis cum naturalibus hominis passionibus.*

### *De Peccato.*

**P**rimò quidem consideratio peccati secundum seipsum & pravos ipsius effectus,

Hic

inju-

*Affectus  
nasci soli-  
ti ex confu-  
sione,  
peccati.*

injuriam videlicet Deo illatam, animæ vastationem, & horribiles pœnas, quibus à divina castigatur justitia, unà cum attentione ad ea, quæ nos commisimus bene multa & enormia, certam in corde nostro producit verecundiam ac nostrimet confusionem, status nostri miserimi extremum horrorem, justum evidentis periculi æternæ damnationis incurrendæ timorem, amarumque de nostris offensis dolorem, tum ob metum inferni, tum quia adeo graviter offendimus Deum, qui amorē ac servitia promeretur infinita, ob incomparabilia, quæ quidem ab ipso, sive in ordine naturæ sive gratiæ, recepimus, beneficia.

Ac proinde præter quatuor istos affectus generales, de quibus locuti sumus, videlicet gratiarum actionis, pro eo, quod in malo isto statu ex hac vita abrepti non sumus: resolutionis vigorosæ corporaliter moriendi potius quam in illum relabendi; obligationis nostrimetiporum; omnium vitæ nostræ momentorum Deo in satisfactionem pro peccatis nostris factæ; & petitionis gratiæ divinæ, ut nostris queamus stare promissis: præter, inquam, hos quatuor affectus generales, nascuntur in cordibus nostris aliqui particulares, contritionis, timoris, pudoris, & horroris, qui omnes invicem permiscentur hac vel simili ratione.

*Affectus  
particula-  
res miscē-  
tur gene-  
ralibus.*

*Formula,*

Eheu! mi Deus, quantum confundor, ubi in conspectu divinæ Majestatis tuæ comparere debeo, tot impuritatibus onustus & immunditatis? O me infelicem peccatorem! O inferni titonem, sordibusque & pædoribus infectam cloacam! Vah! terrore contremisco

con-

considerans ignes, quos tua divina justitia pro me accendit, solaque tormentorum illorum representatio metu me concutit ac horrore. Nunquid verò, mi Deus, vel tantillum tibi restat misericordiae pro hoc infelici peccatore, qui dolet, quod unquam te offenderit? Misericordiam ô mi Deus, misericordiam, paucas adhuc inducias, ut queam agere pœnitentiam, quam ecce ab hoc momento exordiar; Pro! maledictum peccatum, quantum te detestor & abhorreo. Quid? tam ignaviter ac malitiosè dereliquisse Deum meum? Quid obsecro cogitabam? Utinam, utinam, ô mi Deus, tibi nunquam fuisset inobediens, neque unquam te offendissem! Vah! nunquam, ita, nunquam amplius peccabo, potius moriar, imo potius infernum adibo, quam ad pristina mea unquam revertar delicta.

Verùm nunquid ullatenus de omnibus istis perversitatibus meis de meipso ultionem sumere potero? Agam profectò & corpus hocce meum pœnitentiis onerabo atque austeritatibus, ut veluti instrumentum peccati extitit, ita quoque instrumentum existat satisfactionis. Afflige, percutite, Domine, occide hunc rebellem, hoc inquam à patibulo, infernoque redemptum mancipium. Ure, consume; annihila hunc fœtidum canem, hoc putridum & corruptum cadaver, quod coram divina Majestate tua & beatis illis spiritibus adeo virulentum exhalat odorem, modò hac ratione tuam promereri queam misericordiam.

Pro! quando erit, ubi reverà habebor veluti mortalium omnium impiissimus, maximè

abo-

abominabilis, omnique gratia indignissimus, qui Deo meo, Creatori meo, conservatori meo ac benefactori indefesso adeo fui infidelis, qui, inquam, proditor exiti divini Magistri mei, adeoque justissimis amabilissimisque cœlestis Patris mei mandatis rebellis. Ecce, ecce hęc ad illius mempe pedes provolvo, oculis lactymis, corde pleno singultibus, suspiriis ac doloribus, quod cum toties adeoque malitiosè dereliquerim, merita pretiosissimi sanguinis illius pedibus protriverim, illiusque gratias abundantes, quas tanto ipse mihi labore comparavit ac sudore, inutilitèr dissipaverim, eâ, quâ possum, constantiâ contestando, in posterum ei me futurum fidelissimum.

2. *De Cognitione sui ipsius.*

**A** Nima, quæ non obscure meditando cognoverit, se nihil esse, nihil habere, ac nihil posse ex seipsa, imo ne valere quidem proferre sanctissimum nomen Jesu sine divini Spiritus assistentiâ, neque uno procedere gradu sine Dei concursu, concipiet affectus

*Affectus  
nasci soliti  
ex cogniti-  
one sui-  
ipsius.*

1. Pudoris & confusionis, quod unquam adeò ineptè de seipsa quidquam præsumpserit.
2. Vilis existimationis sui ipsius, ac profunda coram Deo humiliationis.
3. Dependentiæ ac subjectionis eorum omnium, quæ vel ipsa est, vel fecit unquam boni, cuncta integrè referens in Deum.
4. Horroris vanæ gloriæ, per quam homo sibi ipsi quidquam, quod tamen nisi à Deo non habet, attribuens, sacrilegio proximum committit.

mittit furtum spirituale, quia donum quod Deo proprium est, quodque in ipsum per humilem gratiarum actionem refundere debebat, sibi metipso attribuit. Hos omnes affectus ea potest ratione exprimere.

Rubore ac pudore suffundor coram divina *Formula.*  
Majestate tua, Deus meus ac Dominus meus, quod a deo fuerim unquam occæcatus, ut mihi metipso talentum aliquod aut virtutis exercitium attribuerim, quasi ipsum ex meipso & non ex gratia tua haberem. Vah! infanite id est, nimiumque memetipsum ignorare.

Absit, mi Domine, absit, ut imposterum ullo unquam tempore secretam vanitatem in me foveam, absit, ut quidquam jactationis, ostentationis aut vanæ gloriæ unquam admit- tam; quia tu solus es, cui ex eo, quod sum, quodque possum boni, omnis debetur gloria.

Ex meipso utique, præter nihilum meum, ignorantiam & peccatum nihil habeo, hocque solum meum est: & si de alio quopiam gloriari voluero, confusione & æterno coram Angelis beatis, coram omnibus Sanctis tuis, imo & coram ipsis Diabolis, qui me tam stultè & injustè de eo, quod meum non est, superbientem cernunt, opprobrio dignus sum.

Humillimam hic ô mi Deus contestationem & nihili mei, meæque & in statu naturæ & gratiæ impotentiam facio recognitionem. Totum quod possum uni tibi per humillimam agnitionem ac submissionem attribuo.

Te te omnis boni, quod feci unquam, unicum agnosco Authorem, tibi que ex nunc, quidquid unquam boni facere potero, confecro & addico, utpote originaliter de gratia tua, de divinis tuis luminibus ac sanctis permanans inspirat onibus.

Recedite, recedite à me in perpetuum maledicti affectus præsumptionis, vosque omnes occultæ complacentiæ & vanitates; nolo enim, nolo amplius fur esse ac latro donorum Dei mei; sicuti verò non sum, neque vivo, aut quidquam ago, nisi per indefinentem à gratia & directione ipsius dependentiam, similiter volo, ut omnis in ipsum solum inde redundet gloria, mihi verò nil nisi verecundia, & de meis remaneat peccatis confusio.

3. *In revisione sui ipsius & examine, quo statum suum interiorem atq; in virtutibus agnoscat progressum.*

**U**bi quis consideraverit, quantum sit in contectandis bonis inspirationibus, ac Spiritus sancti illustrationibus infidelis, quàm negligens in tentationibus Inimici reprimendis, quàm remissus in superandis quibusvis difficultatibus, contrarietatibusve atque alios non paucos defectus suos recognoverit, coram Deo quali quandam generalis, ut vocant, confessionis speciem depromet convestitam

1. Pudore ac verecundia.
2. Contritione atque humilitate.
3. Sincero in praxi bonorum operum sanctisque exercitiis se obfirmandi desiderio.

4. Pe-

4. Petitione veniæ præteritorum, gratiæq; futurorum peccatorum atq; imperfectionum declinandarum. Id quod fieri poterit hac ratione.

Quonam usque deveni, mi Deus? Eheu! *Formula* heu me infelicem! quotidie retrocedo; pro eo *generalis* quod progredi me oporteret. *sui ipsius*

Imperfectiones imperfectionibus, defectus defectibus, infidelitates accumulo infidelitatibus, & quo diutius vivo, eò amplius in deteriora prolabor. *accusatione.*

Conscientia mea me reprehendit, nimiumque mihi clarè demonstrat, omnia opera mea defectibus plena esse. Quòd si enim virtutis alicujus actum exerceo, mox propria sese ingerit complacentia, ac naturalis, quam inde percipio, oblectatio parum illud, quod actui hujusmodi inesse posset, boni absumit. Quòd si opus sit aliquantò difficilius, non nisi invitus ipsum aggredior, ac medià dumtaxat ex parte ac perfunctoriè perficio. Si diuturnius est, corruptæ naturæ meæ inconstantia illud citò aberrumpere suadet, atque idcirco sæpius ipsum desero, cum vix inchoaverim: tametsi tua mihi nunquam defuerit gratia, mihi metipsi tamen non rarò quas nescio imbecillitates, imò absolutas impossibilitates confingo; ubi modicâ dumtaxat opus foret resolutione. Nul- lum denique opus bonum efficio, quin in multis ipsum deficiat circumstantiis. Prò! quid erit de me, ad tuum ubi provocabor iudicium?

Ubi, ubi quæso est exacta Regularum in earum observantia? Eheu! quam negligens sum in mortificandis meis sensibus? quot passio- nibus

nibus meis inservio? quâ quælo in re proprium sensum meum ac voluntatem mortifico? Ubi est spiritus orationis & recollectionis, quo polere deberem? Ubi fervor, quo tibi me servire oporteret? Ubi alacritas & in actibus meis fidelitas? Ubi constantia in arduis? Spiritus charitatis & unionis erga fratres meos? Ubi zelus Regulæ, constitutionum, ceremoniarum, aliorumque sanctorum exercitiorum? Ubi denique tuarum imitatio virtutum, quas in memetipso, in actionibus ac in tota conversatione mea exhibere deberem ac repræsentare?

Ad singula puncta ista rubore suffundor ac pudore, mi Domine: quidque tibi respondere debeam, aut quid facere aliud, prorsus ignoro, nisi ut tuam inclamem misericordiam. Misere ergo mei, miserere mei, pietissime atque amantissime Redemptor. Gratiâ, quælo, tuam mihi multiplica, & per infinitam misericordiam tuam concede, ut indefessè perfectionis viam queam decurrere. Da mihi Deus meus, ut tales vel tales possim emendare defectus, quibus continuò succumbo. Benedic obsecro & confirma desideria ista sancta, quæ modò mihi inspirasti, ut impostèrum ad meipsum attentior, mortificationis studiosior, humiliationis patientior, in conversatione mea modestior, atque in omnibus actionibus meis esse contendam ac possim religiosior. Illa omnia concede ut tui gratia & amore semper aggrediar, fortiter prosequar, indefessè promoveam, atq; ad gloriam tuam omnemque, quam à misera creatura tua expectare ac desiderare potes, satisfactionem, perficiam.